

ferendis beneficiis, etiam simplicibus, digniores prætermittunt, confanguinitate, privatâ amicitia, aut Magnatum commendatione ducti; ergo rùm à jure canonico, tum à recta ratione, tum à fine propter quem instituta sunt beneficia pariter recedunt; ergo generatim censendi sunt mortaliter peccare.

Diximus autem *generatim*, quia nonnulli possunt casus occurrere, in quibus sine peccato, etiam veniali, beneficia simplicia minus dignis conferantur; 1^o. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui obeundis suis muniis impar, ab animarum cura removeri debeat; 2^o. si cui Sacerdoti aut Clerico indigenti non aliter subveniri possit, quam beneficii alicujus simplicis concessione; 3^o. cum impediri non potest Clerici prorsus indigni electio, nisi minus dignum eligendo; tunc enim Ecclesiæ utilitati consulitur.

Quæres utrum in resignationibus & permutationibus locum habeat digniorem eligendi obligatio.

Resp. cum Sylvio resignantem (idem dixeris de permutante) qui digniorem non eligit, *non excusandum esse quia etsi iste non sit Collator, vel Patronus; est tamen causa cur illud beneficium conferatur minus idoneo; qui autem causam damni dat, damnum dedisse videtur; neque illi soli peccant, qui ipsam peccati opus faciunt; sed etiam qui vel causa sunt ut fiat, vel consentiunt facientibus: ac proinde sive cognati, sive amici qui talem resignationem procurant, graviter delinquant.* (Ubi suprâ, pag. 413. & 414.)

CAPUT V.

Utrum plura simul Beneficia possidere liceat.

EX beneficiis alia dicuntur *incompatibilia* quæ scilicet, vel postulant ut in diversis locis resideatur, quales sunt duo Episcopatus, duæ Parochiales Ecclesiæ; vel quæ in eadem Ecclesia adjunctum sibi habent idem ministerium & officium eodem tempore implendum, ut duo Canonicatus *sub eodem*, ut aiunt, *teâo*. Alia dicuntur *compatibilia*, & ea sunt quæ nec residendi in diversis locis obligationem important, nec idem officium eodem tempore persolvendum. Hæc distinctio Majoribus nostris prorsus erat incognita, & non nisi exeunte sæculo XII initium habuit, eamque *ex Clericorum malitia usurpatam* scribit Guillelmus Parisiensis. (Lib. de Collat. beneficior. cap. 6. tom. 2. Edit. Aurelian. an. 1674. pag. 260. col. 2.)

Apud omnes certum est, nequidem in foro exteriori, posse duo beneficia *incompatibilia* retineri. Primum enim beneficium *ipso jure* vacat, statim ac secundi inita est possessio. (Lib. 3. decretal. tit. 5. cap. 28. pag. 1049. & 1050.) A Concilio autem Tridentino duo beneficia simul *ipso factô* vacantia declarantur, nisi intra sex menses alterutrum fuerit dimissum, quibuscumque dispensationibus non obstantibus. (Sess. 24. de reform. cap. 17.) In Galliis tamen per unum annum retineri possunt duo beneficia *incompatibilia*, sed alterutrum optionem fieri intra illud tempus necesse est. Tota igitur disputatio est de iis beneficiis quæ dicuntur *compatibilia* & *simplicia*. Quâ de re sit.

P R O P O S I T I O.

Plura Beneficia, etiam simplicia, simul possidere non licet, si unum ad sustentationem honestam sufficiat, nisi Ecclesiæ necessitas vel grandis utilitas excuset.

Prob. 1^o. ex Conciliis: Claromontense an. 1095. statuit ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere. (Tom. 10. Concil. pag. 507.) Atqui hæc generatim de quibuscumque beneficiis dicta esse patet, ex eo quod hanc rationem afferat Synodus, quod Clericus duos titulos, habere non possit.

Concilium Tridentinum sic jubet: Quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum, decipientes, plura simul beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus . . . præsentis decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. (Sess. 24. de reform. cap. 17.) Decretum illud Carolus IX, Rex Christianissimus per suos Oratores à Synodo Tridentina postulaverat. Inter articulos enim reformationis ad Concilium ab ipsis delatos, iste legitur: Unum tantum beneficium uni conferatur, sublata, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium & incompatibilium differentia, quæ distinctio, ut est nova, & antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem at uir. (Mém. pour le Conc. de Trente, édit. in-4^o. 1654. pag. 370.)

Concilium Mediolanense IV ita præcipit:

Beneficium, etiam simplex obtinenti, quod ad vitam sustentationem satis est, si alterum simplex aliudve cujusvis generis conferatur, ubi is alterius beneficii . . . possessionem pacificam adeptus est, . . . primum ipso jure vacare censeatur. (Tom. 15. Concil. pag. 470.) Eandem regulam præscribunt varia Concilia post Tridentinum celebrata.

Prob. 2^o. ex celeberrimo Facultatis Parisiensis decreto anni 1238, cujus mentionem facit Genebrardus Doctor Parisiensis: Anno 1238, inquit, Theologi Parisienses post longam disputationem, definiunt, neminem posse duo beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere sine mortali peccato. (Lib. 4. chronolog. pag. 642. edit. Lugd.)

Prob. 3^o. veterum Theologorum autoritate, quorum tantus est numerus, ut si velim singulos appellare, integrum esset volumen describendum. S. Bonaventura qui sæculo XIII floruit, de Canonico loquens: Debent, inquit, unicum beneficium cum timore Dei habere; . . . alioquin verum erit illis quod dicitur: qui pluralis est in beneficiis, pluralis erit in pœnis. Eandem doctrinam fufius exponit (lib. 1. pharetræ, cap. 23. tom. 6. pag. 114. edit. Lugd. an. 1668.) Durandus Episcopus Mimatensis (de Mende) qui sæculo XIV scripsit, optandum esse dicit ut Ecclesia in Concilio generali statuatur, Ne quis in duabus præbendis intuletur; sed singula beneficia singulis conferantur personis, cujuscumque status & conditionis existant; quod sanctorum Canonum auctoritate probatur. (Lib. de modo celebrandi Concilii generalis, part. 2. tit. 21. edit. Paris. in-8^o. an. 1671. pag. 107.) Dionysius Carthusianus qui obiit an. 1471, totum scripsit librum contra pluralitatem beneficiorum. Cardinalis Caietanus asserit eum mortaliter peccare, & absolutione indignum esse, qui duo beneficia retinet, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; non esset, inquit, absolvendus. (In Summula, ad verb. Beneficium.)

S. Thomas: Plures, inquit, Præbendas habere 3 plurimas in se inordinationes continet; 1^o. quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire; ... 2^o. sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur; 3^o. sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset; 4^o. sequitur inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. (Quodlib. 9. q. 7. art. 15.) Hinc S. Doctor istam, veluti S. Bernardi, sententiam profert: Qui non unus est, sed plures in beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis. Hæc audiant, & paveant beneficiorum belluones.

Veterum Theologorum auctoritati accedunt plurima recentiorum iussurgia, sed ea prætermittere jubet brevitatis.

Solvuntur objecta.

Objicitur 1^o. ferè ubique invaluisse consuetudinem plura simul beneficia retinendi, quæ nec animarum curam, nec residendi obligationem important.

Resp. Consuetudinem hanc tutos non facere beneficiorum possessores: 1^o. quia ex improbæ cupiditatis affectu, ut ait Concilium Tridentinum, nata est; 2^o. quia eam constanter reprobavit Ecclesia, ut plurimis Conciliorum decretis manifestum est; 3^o. quia veritati, ait Tertullianus, nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum... Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. (Lib. de velandis Virginib. cap. 1. pag. 172.) Idem argumentum ex prava consuetudine deductum sic profligat S. Cyprianus: Consuetudo impedire non potest quominus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate,

vetustas erroris est; propter quod, relicto errore, sequamur veritatem. (Epistol. 74. pag. 141.)

Objiciuntur 2^o. piorum quorundam Clericorum exempla, qui pluribus potiuntur beneficiis; quod profecto non facerent, si existimarent illicitum.

Resp. iis exemplis non labefactari quam defendimus doctrinam: vel enim pii illi viri legitimas & speciales ita se gerendi causas habent, quæ aliæ esse non possunt, quàm Ecclesiæ necessitas aut grandis utilitas; vel nullam habent hujusmodi causam, & tunc maximè verendum est ne fucata & inani pietatis specie sibi & aliis illudant. Quò majorem sibi conciliarunt pietatis famam & existimationem, eo ceteris periculosius est ipsorum exemplum. Habes beneficiorum hæc pluralitas, inquit Cardinalis Caietanus, scandalum bonorum virorum, qui vident hujusmodi exorbitantes distributiones conservari ab his qui in formam gregis christiani dati sunt: inde enim alii similia audent, & sic in præceptum ruit Ecclesia Christi. (Summula, ad verbum Beneficium.)

Insuper observandum est ex piis viris quos Sanctorum albo inscripsit Ecclesia, nullum esse qui in plurium beneficiorum possessione diù vixerit, vel obierit. Sanctus quidem Carolus aliquandiu plura simul habuit beneficia, quia in iis circumstantiis versari se existimabat, in quibus id licitum esse potest; sed ea longè ante mortem suam dimisit, nec aliud, præter Mediolanensem Archiepiscopatum, sibi retinuit.

Obj. 3^o. licitam esse plurium beneficiorum possessionem quando eâ mente retinentur, ut eorum reditus in erogandas largiores elemosynas, aliaque bona opera impendantur.

Resp. futilem esse excusationem hanc, 1^o. quia beneficiorum fructus in bona opera conferendi intentio, alia non tollit incommoda quibus obnoxia est multiplicis beneficii possessio; 2^o. quia Deus à nemine exigit ut plures & largiores erogat elemosynas, quàm ferunt ipsius facultates. Deus,

inquit Dionysius Carthusianus, non exigit ab aliquo hospitalitatem, & eleemosynarum largitionem ultra vires ipsius, sive ultra id quod sibi de uno competenti beneficio superest. (*Traç. de pluralit. benef. art. 12. pag. 186. col. 1. edit Colon. Agrip. an. 1559.*)

Prætextus quem refellimus tantum habet inanitatatis, ut benignioribus etiam Casuistis displiceat. Illud moneo, inquit Laymann, non esse justam causam accipiendi plura beneficia, ultra necessariam vitæ sustentationem, quod propositum habeas redditus superfluos in usus pios bene erogare; ... sed necesse est ut aliæ etiam deformitates tollantur, videlicet inæqualitas distributionis, Ecclesiæ damnum, & cultus divini diminutio. (*Traç. de benef. Eccles. cap. 8. n. 2. tom. 2. lib. 4. traç. 2. edit. in-fol. Lugd. an. 1691. pag. 563. col. 1.*)

Quæres 1º. an licitum sit plura possidere beneficia cum justa & legitima dispensatione.

Resp. licitum esse. Id constat 1º. ex illis Concilii Lateranensis sub Alexandro III verbis: *Circa sublimes & litteratas personas, cum ratio id postulerit, per Sedem Apostolicam dispensari poterit.* (*Lib. 3. Decretal. tit. cap. 28. p. 1050 & 1051.*)

2º. Ex S. Thoma: ut enim quorundam opinionem refellat, qui contendebant plurium beneficiorum possessionem esse rem ex se & natura sua malam, hanc rationem affert: *Aliàs in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit.* (*Quodlib. 9. art. 15.*)

3º. Ex consuetudine Ecclesiæ quæ hujusmodi dispensationem aliquando concedit. Ut autem valeat & legitima sit, nonnisi propter aliquam Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem communem impertienda est. Cum enim beneficia, non propter fovendam quorundam privatorum cupiditatem, sed propter Ecclesiæ utilitatem fuerint instituta, ut multa beneficia possideat Clericus permitti non potest, nisi cum illud communi Ecclesiæ bono expedire judicatum fuerit.

Qui ergo dispensationem obtinuit, tutum se non existimet, nisi propter justam hanc causam concessa fuerit. *Adverte*, inquit Cardinalis Toletus, *ut in foro exteriori possit aliquis habere* (plura beneficia), *satis est dispensatio; tamen ut in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis: hæc autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo.* (*Lib. 5. de instrud. Sacerd. cap. 81. pag. 799. edit. in-8º. Lugd. an. 1691.*)

Quæres 2º. an liceat beneficium resignare in favorem Clerici, qui aliud jam habet ad honestè vivendum sufficiens.

Resp. id licitum non esse, nisi ab eo Clerico abjiciendum esse primum beneficium moraliter certus sit resignans. Ratio est, quod alioquin in ipsius peccati societatem veniret, huic occasionem præbendo plura simul beneficia possidendi, quod certè malum est. *Nam digni sunt morte*, inquit Apostolus, *non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* (*Rom. 1. 32.*) Idem sentiendum de patronis & de iis qui operam suam præstant, ut conferatur beneficium Clerico qui aliud jam obtinuit, unde possit honestè vivere.

Hinc S. Ludovicus Galliarum Rex hanc consuetudinem observabat, quod nulli, quantumcumque litterato, aliquod beneficium ecclesiasticum possidenti conferret, ... nisi prima beneficia simpliciter resignaret. Ita referunt Guillelmus de Nangis, & Geofridus de Beauvais, in illius Principis vitâ. (*Duchesne, tom. 5. pag. 369 & 455.*)

APPENDIX

De Pensionibus.

PENSIO de qua hic agitur, ea est quæ alicui super alterius beneficio ab autoritate legitima, & iustam ob causam conceditur.

Quæres 1^o. cujus sit pensiones super beneficiis constituere.

Resp. 1^o. ex hujus Regni consuetudine posse Romanum Pontificem quadruplici in casu pensiones constituere; 1^o. in permutationibus ad componendam beneficiorum inæqualitatem, ut quando beneficium locupletius cum tenui permutatur; 2^o. in resignationibus, ut resignanti subministrantur ad victum necessaria; 3^o. ut dissidium inter duos de beneficio litigantes componatur, alterutri pensionem assignando; 4^o. ut subveniatur Sacerdoti quem administrando diutius beneficio inhabilem reddidit infirmitas.

Resp. 2^o. posse Episcopos triplici in casu pensiones creare. 1^o. Ubi beneficium alteri beneficio vel Seminario jungitur. Tunc enim potest Episcopus *titulari*, quandiu victurus est, juncti beneficii redditus ex parte reservare; quinimò & integros illius fructus, si non aliter velit huic conjunctioni assentire, siquidem nec beneficio, nec ejus fructibus privari potest, nisi consenserit. 2^o. Pro instituendis Seminariis & Scholis: edictum enim Blesense (*art. 14.*) Episcopis præcipit ut Seminaria & Scholas suis in diocesis constituant ac dotent, five beneficia jungendo, five pensiones assignando, five aliter. 3^o. In gratiam Beneficiarii qui, præ senectute vel infirmitate, obeundis sui ministerii

functionibus impar evasit. Si enim ejus beneficium alteri conferat Episcopus, ipsi pensionem. unde vivere queat, decernere potest.

Quæres 2^o. quænam requirantur conditiones, ut pensio licitè obtineatur.

Resp. quatuor requiri. Prima est, ut *pensionarius*, cum agitur de beneficio quod residendi obligationem importat, ipsi per 15 annos deservierit, vel eidem ob gravem aliquam infirmitatem nequeat operam suam diutius præstare. Ita sancitum est edicto Ludovici XIV, an. 1670. (*d' Héricourt, Loix Eccles. édit. 1721. pag. 355. col. 2.*)

Secunda est in Galliis, ut pro beneficiis quibus adjuncta est residendi necessitas, pensio tertiam fructuum partem non excedat: ita præfato edicto constitutum est. Provisum est etiam ut, persoluta pensione & deductis aliis beneficii parochialis oneribus, quingenta quotannis libræ francicæ suppetant *resignatorio*, utque in illius utilitatem cedant emolumenta, quæ dici solent *casualia*. Beneficiis autem simplicibus imponere licet pensionem, quæ mediam fructuum partem non superet.

Tertia est, ut habeatur patroni laici consensus. Quarta denique conditio est, ut *pensionarius* sit indigens, nec aliud habeat unde possit honestè vivere. Pensio enim quædam est honorum ecclesiasticorum portio: atqui hæc bona ita esse pauperum patrimonia jam ostendimus, ut ea in proprios usus convertere non debeat Clericus, nisi iis verè indigeat. Regulam hanc non ignorarunt viri à Paulo III delecti, ut in varios abusus diligenter inquirerent, qui circa beneficia in Ecclesiam irreperant. *Illud animadvertendum est, inquit, nullâ aliâ de causâ, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas quæ in pios usus & indigentibus concedi debent.* Unde sic concludunt: *Pensiones dari Clericis divitibus qui honestè & commodè vivere queunt, ...*

magnus certè abusus est. (Ad calcem tract. Guilteini; Durand, de modo Concil. celebr. edit. an. 1671. pag. 110 & 111.)

Hinc colliges ad restitutionem obligari Clericos qui, licèt ex re familiari, vel ex beneficio jam habeant, unde honestè pro sua conditione vivant, ab altero tamen beneficio pensionem percipiunt.

At, inquit avidi pensionum captatores, Apostolicam licentiam & dispensationem quaesivimus & obtinuimus. *Hic cavillus*, respondet Bellarminus, *securos multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non est dominus, sed dispensator; idèdque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est; & qui eà utitur, eadèdem semper iniquitate irretitur. (Epist. ad suum nepotem.)*



TRACTATUS

DE

SIMONIA.

IN tractando isto maximi momenti argumento, hunc servabimus ordinem : 1°. de Simoniae natura & divisionibus agemus ; 2°. expendemus quale peccatum sit, & utrum ab eo committatur, qui temporale quidpiam tribuit, non tanquam rei spiritualis pretium, sed quasi *motivum* & incitamentum ad eam obtinendam ; 3°. differemus de pretio seu munere simoniaco ; 4°. de materia Simoniae ; 5°. de poenis contra simoniacos constitutis ; 6°. inquiremus utrum & quibus restitui debeant, quae simoniacè accepta sunt.